



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Terrarum monstra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

raptus, & in castra perlatu, dixerat. Ergo senatus duplici pradi-
 ctione monitus, eodem pæne tempore, & religioni paruit, & hostium
 orbe potitus est. Hæc Valerius, quæ etsi aruspicina, & oracu-
 lum falsi Numinis contaminet, contigisse tamè per aquas plus
 nimio credibile est; cum paria, à Valerio Maximo recensita, vt
 de aqua, quæ apud Cerites sanguine commixta fluxit, confir-
 met D. Augustinus, qui ait, *etiam cum natos infantes de uteris*
matrum quedam verba clamasse: volasse serpentes, feminas (&
gallinas, ut homines) in masculinum sexum fuisse conuersas. Et quis
 dubitet, aquis mirabilia, in signum diuini vel fauoris, vel fu-
 roris contigisse? Nonne nos ipsi, in vltimis Comitij Ratispo-
 nensibus Anno 1631. celebratis coram experti sumus, omni-
 bus prodigium, immò miraculum agnoscentibus, Danubium,
 vna repente nocte, glacie resoluta, fluxisse, transitumq; Panie-
 rio & copijs illius negasse; quæ repentinæ aduenerant, & pæne
 totius imperij legatos, vnà cum optimo Cæsare Ferdinando
 III. oppresserant imparatos? Ne Danubium igitur transirent,
 congelatum ex aquis pontem illis Deus subduxit, aquas obie-
 ct, & vnà glaciem ac consilia hostium dissoluit.

S. Augustin.
 lib. 4. de ciu.
 Dei.

De signis, per terræ motum, mutationesque editis, est
 passim ex authoribus occasio intelligendi. M. Tullius ad a-
 ruspicinæ rationem refert, quæ Tages quidam dicitur in agro
 Tarquinensi, cum terram araret, & sulcus altiùs impressus
 esset, voce repentè existente, audiuisse. Sed sæpe vox aliud
 monuit, aliud auditor intellexit. Quid tonitrua de cælo,
 quid terræ tremebundæ mugitus aliud significant, quàm vt
 iram Dei fugiamus? Vt enim homini, qui Conditori suo ser-
 uit, seruiunt omnia; ita eidem exorbitanti omnia minitan-
 tur. *Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur,*
deseruiens tuis preceptis, ut pueri tui custodirentur illasi. Nam
nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, qua ante erat, terra
arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus
germinans de profundo nimio: per quem omnis natio transiit, qua
regebat tua manu, videntes tua mirabilia & monstra. Sed quia
 hæc pertinent omnia monstra terrarum, sæpius à nobis attin-
 genda, compendio locus esto.

VIII.
 Cic. de diuin.

Sapi. 19. 6.

Præcipua